



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm Vlt. Quoniam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

suam dat ante scrutinium. Ponamus enim illum interim mortuū esse: apparet profectō, eum suffragium non dare, sed dedisse.

- 3 Cæterum in electionibus, v. g. Regularium, in quibus forma scrutinij exacte non seruatur, sed schedulæ obsignatæ in urnam conijciuntur, nihil obstat suffragium ita scriptum ab absente, vel infirmitate detento mitti ad Capitulum, vti dixi in c. Indemnitatibus, 43.

CAPITVLVM Vlt.

Quoniam.

SVMMARIVM.

1. Si in electione discordi adsit coelectus, vel oppositor, is nominatim vocandus est ad causam suam agendam; si nullus adsit, generale mandatum ad Ecclesiam valuas affigendum, in quo citandi volentes se opponere confirmationi, assignato peremptorio, aliter confirmatio non tenet.
2. Oppositor veniens post edictum, & peractam confirmationem, si is absens fuit, & allegare potest probabilem ignorantiam edicti, audiendus est.

Accidit interdum, si electio in concordia celebrata non sit, sed vel duæ electiones factæ, vel vni electioni aliqui se opposuerunt, ne confirmaretur, vt Ordinarius ad confirmationem, non coelecto, aut ijs, qui se electioni opponebant, non vocatis, neque

discusso negotio, ad confirmationem impetrandam festinaret. Quare statuit Bonifacius VIII. vt si coelectus aliquis adsit, vel oppositor, is nominatim vocetur ad causam suam agendam: Sin autem nullus talis adsit, generale edictum ad ecclesiam valuas affigatur, in quo peremptorie ad diem definitum citentur, si qui electionem factam impugnant velint, quò minus confirmanda sit: Hæc si omissa fuerint, confirmatio irrita erit. Et vult pontifex, vt hæc eadem obseruentur, et si electio in concordia, id est, vnica, nemine opponente, celebrata fuerit.

NOTANDVM Vn. Si per edictum vocandi sint ij, quorum interest, tum nominanda est persona, si noscatur: sin verò personæ non noscantur, generaliter citantur, vt compareant ij, ad quos negotium principaliter, aut irreparabiliter pertinet, vti docet Abb. in c. exhibita, n. 5. de iudic. Ibid. Fel. nus n. 2.

QVÆRITVR: Si aliquis post generale edictum, & secutam confirmationem veniat, qui opponere velit, vtrum audiendus sit. Respondeo: Si is absens fuit, vt probabilem edicti ignorantiam allegare possit, audiendi debet. Sin verò non absens, aut non longè distans, ordinariè non auditur, nisi ignorantiam coniecturis asstruat, & iuramento confirmet, arg. c. vlt. Qui matrimonium accus. possunt. Cæterum ad denuntiationem canonicam, vt indigna seu inhabilis persona ecclesiam non præsit, ordinariè aliquis admitti debet etiam post confirmationem, & consecrationem, vti Abb. docet in c. nihil, 44. n. 6. extrâ, hoc tit.

